

P. MATTHIA


DISPOSITIO CONCIONUM


1578











BREVIS
DISPOSITIO
CONCIONVM, QVÆ
IN TRIBVS DIEBVS,
PVBLICARVM PRECATIO-
NVM 27, 28, 29, Ianuarij,
Ecclesiæ propo-
nentur

Ad vsum ministrorum verbi
scripta à
PAVLO MATTHIA.



HAFNIAE
Excudebat Andreas Gutteruitz.
1578.

Dns Laurentius Mat[illegible]
pastor eccle[illegible] [illegible]

EZECH: 33.

Viuo Ego, dicit Dominus DEVS, nolo mortem impii, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat.

TERTVLLIANVS.

O beatos nos, quorum cauſa DEVS iurat, ô miſerrimos, ſi nec iuranti Domino credimus.

CONCIO PRIMÆ DIEI,

ESAIÆ 59.

ECce, non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat: Neq́; aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: Sed iniquitates veſtræ, diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum: Et peccata veſtra, abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim veſtræ, pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: Labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra

iniquitatem ſatur. Non eſt qui inuocet iuſtitiam, neq; eſt qui iudicet verè: Sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.

EXORDIVM.

SAnctiſsimus ille vir Dei, Moſes, triſti admodum querela, deplorat humanam ſecuritatem, quæ neq; ſuarum miſeriarum, neq; iræ diuinæ magnitudinem, ſatis agnoſcit. Quis, inquit, Pſal: 90. Nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam? Eâdem verò querela, etiam noſtram, proh dolor, ſecuritatem, meritò deplorare licebit, qui manifeſtiſsima iræ diuinæ ſigna, ſecuri planè contemnimus.

Suſtinuimus iam antea, triſtiſsimum plurimorum annorum bellum, non ſine

grawi

graui horum regnorum iactura. Vidimus ante annos quinq́, nouam stellam, quæ vltra annũ, præter ac contra omnem naturæ ordinem, in cœlo durauit. Præterea, tertius nunc annus est, quo tristissima lues pestifera, apud nos grassatur, quæq́ interea, etiam in vicina loca, virus suum latè diffudit.

Hæc licet ingentis iræ diuinæ, signa sint manifestissima, ac crebræ etiam fiant commonefactiones, vt huiusmodi signis admoniti, seriò cogitemus, quàm horrenda res, sit ira Dei: Tamen tantus, proh dolor, plurimorum est stupor, tantaq́ cordium duricies, vt nequicquam vel signis, vel pœnis, vel salutaribus admonitionibus moueantur, vt ad iustissimam Dei iram, seriò exhorrescant, & ad eam placandam, salutaria remedia quærant.

DEVS autem, cùm sit longanimis, tardus ad iram, & multum misericors,

qui ſua nos longanimitate, ad pœnitentiam inuitat, miſit nunc alium Præconem cœleſtem, horribilem hunc Cometam, qui à feſto Martini, quando primò ſe oſtendit, ad hunc vſq; diem, horrendo ſuo aſpectu, triſtiſsimas calamitates, ceruicibus noſtris imminentes, ac iuſtiſsimam & ſeueriſsimam DEI iram, aduerſus nos accenſam, niſi maturè reſipiſcamus, nobis denunciat. Quodſi etiam hunc cœleſtem pœnitentiæ Concionatorem, ſecuri contempſerimus, nullum eſt dubium, quin tam deplorandæ ſecuritatis noſtræ, iuſtiſſimas pœnas luamus, & quidem opinione noſtra citius.

Cùm enim longa obſeruatione conſtet, nullum vnquam conſpectum Cometam, quem non ſingulare aliquod ſequutum eſt malum, vtpote, vel fames, vel peſtilentia, vel Religionis aut imperiorum mutatio, vel magnorum Principum

ac

ac Regum interitus, sicuti etiam, nostra memoria, non ita diu, ante obitum christianißimi Regis, Christiani III. piæ ac laudabilis memoriæ, conspectus est Cometa: Quis quæso dubitauerit, quin etiam hic, recens iam conspectus Cometa, singularis alicuius mali sit nuncius, quod vt ab hisce Regnis clementer auertatur, seriò nobis orandus est DEVS.

Rex igitur noster clementißimus, quæ singularis eius est pietas, mandauit tres hosce dies precationum, solenni ritu, per totum hoc Regnum celebrandos, vt seposita omni hypocrisi, seria nos pœnitentia, ad Deum conuertamus, eumq; ardentibus ac coniunctis precibus oremus, mala imminentia, quæ tristißimo iræ suæ signo nobis minatur, clementer ab hisce Regnis auertere velit. Inprimis verò, vt quemadmodum hactenus multis annis, ita deinceps quoq;, Ecclesiæ suæ se-

nescenti, in hisce Regnis, quietum domicilium concedat, & vt in ea, sonet incorrupta vox Euangelij, veraq; de DEO Religio, nullis deformata dissidijs, sana ac pura conseruetur. Deinde vt seriò oremus DEVM, cùm pro alijs necessitatibus omnibus, tùm verò maximè, pro clementissimo Rege nostro, illustrissima Regina, Iuniori Principe, cæterisq; liberis, vt diuina protectione, ab omnibus liberentur aduersis, & quàm diutissimè in Dei gloriam, & horum regnorum salutem, florentes atq; incolumes conseruentur. Atq; hæc, quàm potui breuissimè, initio harum concionum, præfari volui, vt inde nonnihil excitati, hoc magis serio, ardentiq; studio, diebus hisce precationum, cùm ad sacras conciones diligenter audiendas, tùm ad preces nostras, pio ardentiq; affectu dicendas, conueniamus.

Nunc

Nunc ad Textum ipsum accedamus, vnde tres præcipuas doctrinas colligemus.

1. Quid potissimum sit, quod dissidium facit inter DEVM et homines, eumq́ inexorabilem reddit.

2. Quænam sint illa præcipuè, quæ ita alliciunt hominem ad peccandum, & peccandi securitatem, in animis hominum confirmant.

3. Quæ nobis cogitanda sunt, vt & facilius peccati illecebras vitemus, & peccandi securitatem, ex animis nostris eyciamus.

DE PRIMA DOCTRINA.

QVidnam sit potissimum, quod tantum dissidium facit inter DEVM & homines, vt DEVS planè reddatur inexorabilis, Propheta hic apertè demonstrat, nimirum hominum peccata: Nam

penes DEUM nulla est culpa, cui neq; facultas, neq; voluntas deest nos iuuandi, vt pote, qui sibi constat, suiq; semper est similis. Sed Propheta docet omnem culpam in nobis hærere, quorum peccata, ita DEUM offendunt, vt auersa quasi facie, preces nostras indignabundus reijciat, nec velit nobis laborantibus, opem atq; auxilium ferre. Sic Threnorum. 3. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus, Idcirco tu inexorabilis es, operuisti in furore, & percußisti nos, occidisti, nec pepercisti, opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Et Iohan: 9. dicitur: Peccatores DEUS non exaudit, scilicet non agentes pœnitentiam.

Obseruentur autem præcipua peccata populi Israëlitici, quæ hîc ordine à Propheta recitantur, & quasi in theatrum conspicienda producuntur, ne quis innocentiam suam, falsò prætendat.

Pri-

Primum est cædes ac homicidium, *Manus, ait, vestræ, pollutæ sunt sanguine*: Ac similis omninò querela extat in 1. cap: Esaiæ: Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: Et cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sangnine plenæ sunt. Deinde sanguinis mentione, intelligit quoq; quamlibet iniquam inferiorum oppreßionem, ideo quasi per explicationem, mox subiungit: Et digiti vestri, iniquitate polluti sunt, ita videlicet, vt aliorum bona, per vim ac iniuriam ad se rapiant.

Secundum peccatum, est mendacium, & doli mali, quos studiosè machinantur, vt alios callidè circumueniant: *Labia vestra loquuta sunt mendacium.*

Ter-

Tertium peccatum est, quòd nullum sit inter eos æquitatis ac iusticiæ studium, Non est qui inuocet iusticiam &c. Sed hoc perpetuum eorum studiũ, vt quo iure, quáue iniuria, simpliciores vexent.

Comparat autem impios mulieri grauidæ, quòd quemadmodum hæc, fœtum vtero fouet, donec tandem enitatur: Ita illi, peruersa sua consilia secum agitant, ac animo quasi coquunt, donec tandem, nacti commodam occasionem, ea in effectum producant, quæ tamen ipsis authoribus, maximè sunt exitiosa: Incidunt enim in foueam quam faciunt. Exemplo est Achitophel.

Hæc peccata, necesse est etiam nunc grauiter accusari, quæ non minus à nostræ ætatis hominibus, quàm tunc ab Israëlitis, securè perpetrantur.

Deinde addantur etiam alia: Vt pote inexplebilis multorum auaritia, iniusta

ſta vſura, immodicus luxus in veſtitu, intolerabilis ſuperbia, deteſtanda crapula, & ebrietas, dira iuramenta, damnanda ſcortatio, adulteria, & libidines, & eiuſmodi alia vitia, quæ nunc ita, proh dolor, inualuerunt, vt à plerisq́, etiam pro virtutibus habeantur. Sed diligenter arguantur hæc peccata, vt conſpiciatur, quanta ſit eorum atrocitas, quæ non ſolùm triſtiſsimum diſsidium faciunt inter DEVM & hominem, verùm etiam grauiſsimas pœnas, authoribus attrahunt, niſi maturè reſipiſcant.

DE SECVNDA DOCTRINA.

QVænam ſint potiſsimum illa, quæ ita hominem ad peccandum alliciunt, & peccandi ſecuritatem in animis hominum confirmant. Sunt autem ea præcipuè quinq́.

Pri-

Primum, naturæ nostræ vitiositas: Prauum enim est cor hominis &c. Genesis 8.

Secundum, Astutia Diaboli, qui circumit tanquam Leo rugiens &c. 1. Petri 5. intentus in omnes occasiones nos perdendi. Is vt est mille artifex, singulari astutia peccatum extenuat, & fucato colore sic pingit, ne peccatum esse appareat, quemadmodum tristissimum primorum nostrorum parentum exemplum satis testatur. Verùm detracto postea colore, ita peccati atrocitatem exaggerat, vt miserum peccatorem, etiam in extremam desperationem trahat, quemadmodum miser ac desperabundus Cain exclamat: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.

Tertium. Praua muudi exempla. Qui tetigerit picem &c. Ecclesiast: 13. Et corrumpunt bonos mores &c. 1. Corinth:

rinth: 15. *Sumuntur enim, vt ait Seneca, à conuersantibus mores.*

Quartum. Impunitas peccandi. Quando enim cessat Magistratus, nec facit suum officium, in puniendis ijs, qui sceleratè viuunt, fenestram aperit, ad alia similia scelera, securè perpetranda.

Quintum. Peßimus abusus patientiæ & longanimitatis DEI. Nam ea, proh dolor, est naturæ nostræ peruersitas, vt longanimitate DEI, qua ad pœnitentiam nos inuitat, ad prophanam peccandi securitatem confirmandam, peßimè abutamur. Quemadmodum Ecclesiastes grauiter conqueritur cap: 8. *Quia non profertur citò, contra malos sententia, absq; timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Huc facit pulcherrimum Augustini dictum: *Quando habemus tempus misericordiæ, non nobis blandiamur, Non dicamus: Semper parcet DEVS.*

Ecce

Ecce, feci heri, & pepercit DEVS: Facio & hodie, & parcit DEVS: Faciam & cras, & parcet DEVS. Attendis ad misericordiam, & non times iudicium. Si vis cantare misericordiam, & iudicium intellige. Quia ideo parcit, vt corrigas, non vt in malignitate permaneas. Hunc impium abusum longanimitatis DEI, accusat Paulus Rom: 2. An diuitias bonitatis illius &c. Et Petrus, 2. Petri 3. Non tardat Dominus promissionem suam &c.

DE TERTIA DOCTRINA.

VT autem diligentius vitemus peccati illecebras, ac peccandi securitatem animis nostris excutiamus, quinq; potissimùm nobis sunt cogitanda.

Primum, Comminationes diuinæ Psal: 7. Nisi conuersi fueritis &c.

Esaia

Esaiæ 1 Væ genti peccatrici. Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis &c. & aliæ similes, quibus non corporales tantùm, verum etiam spirituales & æternas pœnas, impœnitentibus DEUS minatur.

Secundum, signa minantia, in quibus etiam est hic Cometa, qui horribili suo aspectu, iustissimam DEI iram, nobis denunciat.

Tertium, pœnæ multiplices, ut sunt fames, bellum, pestilentia &c. Cuiusmodi proximis annis experti sumus, & adhuc quotidie experimur.

Quartum, Exempla pœnarum, ut diluuium, euersio Sodomæ et Gomorrhæ, & vicinarum urbium, submersio Pharaonis, tristissimum Ierosolymæ excidium. & quotidiana experientia, testatur grassantia scelera, grauiter ac horribiliter à DEO puniri.

Quintum, eſt mors filij DEI, quæ præcipuè teſtatur, quàm fœda, & abominabilis res, ſit peccatum, & quàm horrenda res, ſit ira DEI propter peccatum, cùm neq; hæc ſedari, neq; illud tolli, ſine triſtiſsima morte filij DEI potuerit. Hæc ſi feriò ac diligenter cogitentur, ſine dubio facient, vt qualeſcunq; peccati illecebras, circumſpecti fugiamus, & vt peccandi ſecuritate, ex animis noſtris eiecta, peccatum ſeriò odiſſe, magisq; quàm rem vllam venenatam, fugere diſcamus, vtq; de peccatis commiſsis, verè ac ſeriò doleamus, ac vera pœnitentia, ad DEVM nos conuertamus, de qua, proxima concione, DEO volente, dicetur.

CON.

CONCIO SECVN-
DÆ DIEI.

IONÆ 3.

ET factum est verbum Domini ad Ionam secundò, dicens, Surge, & vade in Niniuen, ciuitatem magnam: Et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen, iuxta verbum Domini: Et Niniue erat ciuitas magna, itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem, itinere diei vnius: Et clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniui-

tæ in DEVM: Et prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ: Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius, dicens: Homines & Iumenta, et boues, & pecora non gustent quicquam: Nec pascantur, et aquam non bibant, Et operiantur saccis homines & iumenta, et clament ad Dominum in fortitudine: Et conuertatur vir, à via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, et

ignos-

ignoſcat DEVS: Et reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et vidit DEVS opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, Et miſertus eſt DEVS, ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

ENARRATIO.

AVdiuimus proxima concione, quàm horrenda res, ſit peccatum, quod diſſidium facit, inter DEVM & hominem, quo nihil aliud, cogitari poteſt triſtius. Deſeritur enim à DEO, miſer homo, vt nullum amplius acceſſum, habeat ad DEVM, nec quicquam boni, ſibi de DEO polliceri poßit. Dictum eſt etiam, quibus potiſsimùm homo, ad peccandum inducitur: Et è contrà, quibus à peccando maximè deterreri debeat:

Nunc in hac Concione, DEO volente, videbimus Quodnam sit remedium, tanto malo tollendo, vt peccato sublato, & ira DEI placata, rursum redeat homo peccator in gratiam, cum Deo offenso, ita vt nulla iam amplius, ei sit metuenda indignatio, sed certus omnino sit, de gratia & fauore Dei, quibus fretus, sine vllo metu, ad DEVM accedit, eiusq; auxilium, firma atq; indubitata fide, petit & expectat.

Illud autem remedium, situm est in vera pœnitentia, cuius insigne admodum exemplum, propositum est in Niniuitis, quod nunc recitari audiuistis, ex 3. cap: Ionæ, non modò consideratione, verùm etiam imitatione dignißimum. Si enim Niniuitarum exemplo, ad pijßimi Regis nostri mandatum, seria nos pœnitentia, ad DEVM conuerterimus, nullum erit dubium, quin quemadmodum illi, ita

nos

nos quoq; ab imminentibus periculis, clementer Dei miſericordia liberemur.

Antequam autem, ad pœnitentiæ doctrinam accedamus, id occurrit, notatu dignißimum, quòd ex hoc Niniuitarum exemplo diſcamus, non eſſe recens inuentum, aut rem ludicram, huiuſmodi Dies publicarum precationum, à ſummo Magiſtratu inſtitui: ſed eam conſuetudinem, & antiquam eſſe, & ſummè neceſſariam, pijſq; gubernatoribus maximè dignam, qui huiuſmodi ſolennes precationum dies indicunt, vel vt mala præſentia, vera pœnitentia, ac inuocatione DEI tollantur aut mitigentur: vel vt mala, quæ propter graſſantia ſcelera imminere videntur, pijs hominum precibus auertantur. Hæc conſuetudo, quemadmodum antiqua eſt & laudabilis, ita quoq; DEO eſt gratißima, qui nulla re alia magis delectatur, quàm ſeria pœ-

nitentia. Quare etiam, tam necessarium pij magistratus edictum, sine grauissima offensione DEI, negligere nemo potest.

Nunc ad doctrinam, de vera & salutari pœnitentia accedamus, quæ in tribus potissimum consistit.

1. Est contritio.

2. Fides.

3. Serium studium nouæ obedientiæ, de quibus ordine & breuiter dicemus.

DE PRIMO.

Contritio omnem hypocrisin ac securitatem pellit, estq́; verus motus cordis, quo homo peccator ex agnitione peccati, ac sensu iræ diuinæ, verè ac seriò dolet, propter offensum DEVM & commissum peccatum, quod non celat aut extenuat, sed ingenuè fatetur, & metuit iustam iræ diuinæ vltionem propter peccatum, quod iam extremè odisse ac detestari incipit.

FIdes, vt confidentiam tollit, ita diffidentiam vincit, estq; firma fiducia, qua homo peccator, certò statuit sibi gratis remitti peccata propter Christum, placatam esse iram diuinam, seq; propter iusticiam filij, sibi imputatam, DEO gratum esse, atq; acceptum.

Hæc Fides, nisi ad contritionem accesserit, Contritio fit horribilis pauor, & dolor animi, fugientis et auersantis DEVM, vt in Saule & Iuda. Nec opus est placens DEO, verùm vbi accedit Fides, Contritio fit bonum opus, ac cultus DEO gratus & acceptus iuxta illud Psalmi. 51. Sacrificium DEO spiritus contribulatus. Et Esa: 66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

Noua obedientia, eſt cùm homo, fide iuſtificatus, incipit obedire Deo, habens ſerium propoſitum, peccatum omne in poſterum vitandi, Deoq́ iuxta ipſius voluntatem, vitam omnem approbandi. Huius nouæ obedientiæ regula ſeu norma eſſe debet Decalogus, cuius ſummam ad duo potiſſimùm capita, Chriſtus ipſe reuocauit, videlicet, ad ardentem amorem Dei, & purum amorem proximi, congruentem voluntati Dei, Matth. 22. Atq; hæc tria ad veram ac ſeriam pœnitentiam requiri, cùm teſtimonia, tùm exempla ſacræ ſcripturæ teſtantur.

Teſtimonia recitantur Ioel: 2. Conuertimini ad me &c. Marci 1. Chriſtus contritioni fidem adiungit: Pœnitentiam agite & credite Euangelio &c. De

nouæ

noua obedientia, concionatur Baptista Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentia &c. & alia eiusmodi testimonia plura.

Exempla sunt, Dauid, Mulier peccatrix, Lucæ 7. Latro, & hi Niniuitæ, quorum pœnitentia, quàm non fuerit simulata, sed vera & seria, historia ipsa, satis superq́; testatur.

Ac primum quidem, cernitur ipsorum vera contritio. Nam statim ad Ionæ concionem, qua post quadraginta dies, tristissimum Amplissimæ ciuitatis excidium prædixit, agnoscunt iustissimam DEI vindictam, propter varia ac multiplicia ipsorum peccata, Ac Contritionem suam, veram, minimeq́; fucatam fuisse, plurimis argumentis declarant. Nam saccus, cinis & ieiunium, quod non solùm hominibus, verùm etiam iumentis ipsis indicebatur, signa fuerunt exter-

externa interioris, animi doloris, quo se coram DEO verè humiliârunt, verisq; cordis gemitibus, peccata sua deplorârũt, agnoscentes peccatorum suorum atrocitatem, quibus non sibi solùm, verùm etiam toti ciuitati, adeoq; iumentis ipsis innoxÿs, tristißimum interitum attraxissent.

Fides quoq; Niniuitarum, haud vulgaris conspicitur, dum neq; tam tristi concione, neq; conscientia propriorum scelerum moti, prorsus desperant de diuina gratia, sed certa spe impetrandæ veniæ, coniunctis precibus, ad DEVM confugiunt, eiusq; misericordiam, maxima animi contentione implorant, quod, nisi prælucente vera fide, nunquam attentassent.

Deinde, neq; studium ÿs defuisse, vitæ in melius mutandæ, satis testatur seuerißimum Regis edictum, quo iubentur à sua quisq; via mala conuerti.

Hoc

Hoc Niniuitarum exemplum, etiam nos imitemur, quibus triſtiſsimis iræ ſuæ ſignis, haud leuiter DEVS minatur.

Ante annos quinq;, vt interim bella, famem, peſtem, tragicos multorum exitus, aliaq; eiuſmodi, iuſtiſsimæ iræ diuinæ ſigna manifeſtiſsima præteream, circa Martini, viſa eſt noua illa ſtella, quæ deinceps vltra annum, in cœlo durauit. Nunc circa illud ipſum anni tempus, conſpicitur horribilis Cometa, quo veluti virga extenſa, grauiſsimas pœnas, DEVS iratus nobis minatur. Quo igitur nobis confugiendum? A DEO irato, vt inquit Auguſtinus, ad DEVM miſericordem.

Nam vt maximè, proh dolor, ingens ſit ira DEI, quam aduerſus nos accenſam, cùm alia permulta, tùm verò horribilis hic Cometa maximè denunciat:

at: & maxima ſit turpitudo noſtra coram DEO, qui ſecuri, ſine vllo iuſtiſsimæ iræ diuinæ metu, peccata peccatis quotidie cumulamus: tamen nequaquam nobis eſt deſperandum, ſed cogitanda eſt immenſa atq́ ineffabilis Dei miſericordia, qua paratus eſt, ad omnes, quantumuis magnis ac grauibus ſceleribus pollutos, in gratiam recipiendos, quotquot vera pœnitentia, ad ipſum confugiunt.

Inprimis verò, ſubijciamus nobis hoc tam illuſtre Niniuitarū exemplum. Quid quæſo eos magis ad extremam deſperationem adigere poterat, quàm quòd, finale ſibi exitium, ac florentiſsimæ ciuitati, paucis admodum interiectis diebus, diuinitùs denunciari, à Propheta audirent?

Sed tamen non abijciunt omnem ſpem veniæ, quin magis, ſeria ſe pœnitentia, ad DEVM conuertunt: quâ animad-

uer

uersa, DEVS iam non manet inexorabilis, sed mox mutat decretum de excidio Niniuæ Vrbis, & sententiam, de ea post quadraginta dies funditus delenda, per Prophetã proclamatam, denuò retractat.

Hac DEI misericordia, quæ immensa est & ineffabilis, nos etiam, in hoc imminentium malorum metu sustentemus, eaq; freti, seria nos pœnitentia, cum Niniuitis, ad DEVM conuertamus, nec quicquam dubitemus, quin commeritas pœnas, ac ceruicibus nostris, iam iam imminentes, clementer ex paterna sua misericordia, Deus à nobis auertere, nostrasq; preces, quas, veris cordis gemitibus, coram eo fundimus, benignè exaudire velit. Pius enim, & Clemens est Dominus DEVS noster, qui non auertet faciem suam à nobis, si reuersi fuerimus ad eum, quemadmodum pulcherrimè de eo testatur, optimus Rex Ezechias, 2. Par: 30.

CON-

CONCIO TERTIÆ DIEI.

1. Timoth: 2.

ADhortor igitur primùm omnium fieri deprecationes, petitiones, Intercessiones, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in eminentia sunt, vt quietam et tranquillam vitam degamus, in omni pietate et honestate. Hoc enim bonum et acceptum est coram DEO seruatore nostro, qui vult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem veritatis peruenire.

ENAR-

CVM hactenus audiuerimus, quid potißimùm dißidium faciat inter DEVM & homines, nimirum Peccatum, quod ita DEVM ab hominibus alienat, vt eorum precibus nihil omnino moueatur, imò auersa eas facie reijciat: Deinde quodnam sit præsentißimum remedium, quo tantum malum tollatur, nimirum vera ac seria Pœnitentia, quâ homo peccator, seriò dolet de commisso peccato, & offenso DEO, firmaq; fide, ac serio studio, vitæ in posterum emendandæ, ad gratuitam DEI misericordiam, in solo Mediatore propositam confugit, certò statuens, se DEVM habere propitium, qui preces suas, non modò non auersari, sed per ac propter Filium vnigenitum, clementer exaudire velit: Commodo nunc

ordine, proponitur doctrina, ex recitatis Pauli verbis, quod cùm pro reliquis omnibus, tùm verò pro Magistratu maximè, ijsq; qui sunt in eminentia constituti, diligenter sit orandum &c.

Duo autem potissimum hinc sunt discenda.

1. Quæ sint caussæ, quæ nos mouere debeant, vt pro Magistratu, DEVM diligenter oremus.

2. Quàm multiplex sit vtilitas, quæ beneficio Magistratus ad nos redit.

DE PRIMO.

CAussæ, quæ nos potissimùm mouebunt, vt pro Magistratu diligenter DEVM oremus, sex præcipuæ enumerari possunt.

Prima, est ipsius DEI mandatum, quale est hoc Spiritus sancti apud Paulum, quod etiam hoc officium, DEO im-

pri-

primis gratum esse & acceptum testatur. DEVS quoq; in quarto præcepto, iubet honorare parentes, per quos etiam intelligitur Magistratus, cuius honor non tantùm existit in externa reuerentia, quæ Magistratui exhibetur, sed magis, vt de eo honestè sentiamus & loquamur, DEOq; aßiduis nostris precibus, diligenter eos commendemus.

Secunda, propter autorem. Est enim Magistratus, ordinatio diuina Rom: 13. Non est potestas nisi à DEO &c.

Tertia, officij dignitas, Psal: 82. Ego dixi Dij estis &c. Id est, diuinum iudicium exercetis, quo nihil aliud, de Magistratu dici potest augustius.

Quarta, officij difficultas. Fieri enim non potest, vt solis humanis consilijs ac viribus, retineri honestæ leges, & ciuilis societas poßit, nisi diuinitus Magi-

ſtratus adiuuetur, niſi Dominus cuſtodie-
rit ciuitatem, Pſal: 127.

Quinta eſt communis neceſsitas, niſi enim certus eſſet Magiſtratus, qui ſua authoritate & gladio, ſibi diuinitus dato, malos coërceret, & bonos tueretur, neceſſe foret in tanta hominum peruerſitate, triſtiſsimam ſequi rerum omnium confuſionem, adeò, vt ne vitam quidem, vel ad horulæ vnius ſpacium, ſibi quiſquam exoptarit.

Sexta eſt pœna, quæ manebit omnes eos, qui hoc officium, Magiſtratui debitum, diligenter non præſtant. Neq; enim inultos relinquet DEVS, qui ingrati, hoc eius mandatum negligunt.

DE SECVNDO.

QVàm magna ac multiplex vtilitas, Magiſtratus beneficio, ad nos redeat.

deat. Enumerantur autem hîc à Paulo tres vtilitates præcipuæ.

Prima est, Tranquilla vita & quieta, non turbata bellicis tumultibus, aut intestinis dissidijs. Quæ vtilitas, quanti sit facienda, satis testantur infinita incommoda, quæ sequuntur, vbi armis omnia perstrepunt. Legatur 5. cap: Ierem:

Secunda est Pietas, Nam vbi bellis omnia turbantur, negliguntur literarum studia, nec potest iuuentus, in pietatis studijs diligenter satis institui.

Tertia vtilitas est Vitæ honestas, vbi enim viget honesta ac moderata disciplina, & Magistratus suũ officium facit, in virtutibus ornandis, & vitijs puniendis, ibi vitæ, morumq́ honestati optimè consulitur, quæ absq́ magistratus beneficio, extremò periclitatur.

Atq́ hæ sunt tres præcipuæ vtilitates, quæ Magistratus beneficio ad nos per-

ueniunt, quæ idcirco meritò nos excitabunt, vt officium Magistratus tam Augustum, tamq; vtile ac necessarium, aßiduis precibus, DEO commendemus, sine cuius singulari præsidio, Magistratus neq; diu conseruari, neq; officium suum vtiliter exequi potest.

Cùm autem singulari DEI beneficio, hisce regnis datus sit Rex tam pius ac bonus, cui præ multis alÿs, nihil magis est cordi, quàm vt vera de DEO Religio, in hisce Regnis pura conseruetur: Vt vigeant pietatis studia, veræq; tranquillitati ac honestati, quàm rectißimè consulatur, nostri quoq; nos officÿ, memores esse decet, vt tam pium, pientißimi Regis studium, pÿs nostris precibus iuuemus, DEVMq; aßiduis & ardentibus votis solicitemus, eius Maiestatem, Ecclesiæ suæ atq; hisce Regnis, quàm diutißimè florentem atq; incolumem, conseruare velit.

Cogi-

Cogitemus tristißimas calamitates vicinorum Regnorum, in quibus, bellis intestinis, cœdibus, rapinis, fame, excidio florentißimarum vrbium, ac miserrima hominum laniena, infinita hominum millia, quotidie pereunt, vbi pariter trucidantur, cuiusuis status ac conditionis homines, grauidæ mulieres, infantes, senes, virgines, neq; vlli, vel ætati, vel sexui parcitur.

Quid in Liuonia, non ita diu acciderit, nemo est qui ignorat, vbi virgines & honestæ Matronæ, à Tartaris, miserè sunt construpatæ, cuius rei indignitate moti, ad quadringentos homines, inter quos, Virgines ac Matronæ nobiles, arce quadam, in quam confugerant, accensa, incendio honestè potius mori, quàm pudicitiam suam, fœdißimis istis beluis, turpiter exponi voluerunt.

Quid in Gallia, in Belgico, in Polonia, proximis annis sit factum, & etiamnùm fiat, non sine summo animi mærore audimus, & certè tristißimi gemitus eorum, qui quotidie crudelißimè mactantur, aures nostras, nullo non tempore, circumsonare videntur.

Alibi inquieta ingenia, non tam pietatis, licet hoc maximè præ se ferant, quàm inanis gloriæ studio, mouent inutiles, minimeq́ necessarias de Religione rixas verius, quàm disputatationes, quibus hodie miserrimè laceratur Ecclesiæ pax & tranquillitas, non sine maximo piorum omnium dolore, ac grauißima veræ Religionis iactura.

Hæc ingentia mala, meritò nos mouebunt, vt diligentius cogitemus, quanta sit horum Regnorum fœlicitas, in quibus, à primo tempore renascentis Euangelij, ad hunc vsq; diem, singulari DEI beneficio,

ficio, Eccleſia Chriſti, tranquillum ſemper habuit hoſpitium.

Viuimus nunc aliquot annos, ex Dei gratia, in ſumma tranquillitate, cùm in vicinis Regnis, bellis ac ſeditionibus, omnia ſurſum atq; deorſum ferantur.

Hanc ſingularem horum Regnorum fœlicitatem grati agnoſcamus, ac DEO gratias agamus, qui ſumma ac maxima hac fœlicitate, hæc Regna, præ multis alijs, clementer ornauit.

Oremus etiam DEVM, toto pectore, vt Regem noſtrum clementiſsimum, veræ pietatis, pacis, iuſtitiæ atq; æquitatis amantem, vnà cum Illuſtriſsima Regina, Iuniori Principe, Regijsq́; filiabus, ac totius Regni Senatu, alijsq́; in quauis eminentia conſtitutis, quàm diutiſsimè conſeruare: eorumq́; conſilia, atq; conatus omnes, in ſui nominis gloriam, Eccleſiæ & Scholarum conſeruationem, ac horum

Regnorum, diuturnam ac salutarem gubernationem, dirigere dignetur.

Præsentes atq; imminentes calamitates, clementer auertat aut mitiget, vt in vera pietate, ac honestate, quietam atq; tranquillam vitam degamus, idq; per ac propter meritum Filij sui vnigeniti, cui cum Patre & Spiritu sancto, laus, honor & gloria, in æterna secula,

AMEN.

PRE.

PRECATIO SINGVLIS DIEBVS RECITANDA.

O Almectigste/Euige Gud/ oc Naadige Fader / wi arme Menniske / bekiende voris mangfaaldige Synder/met huilcke wi saa haardelige haffue fortørnet dig / at du aff din retfærdige vrede/skiuler dit Ansict fra oss / oc icke vilt høre vore Bøner / Men hiemsøger oss/met Pestilentze oc andre mangfaaldige plager/Wi bede dig O Naadige

Fader

Fader/Du vilt forbarme dig offuer oss/ oc mit vdi din vrede / tencke paa din Faderlige Naade oc Barmhiertighed/ Du vilt igien see til oss / met dine naadsens Øyne / oc oss naadelig bønhøre/ at denne languarende Pestilentze / maatte naadelig stillis/ Du vilt naadelig affuende fra oss Krig oc Orloff / met all anden voris velfortiente Heffn oc Straff/huilcken du met din strenge oc retfærdige vredis Rijs /du haffuer optend offuer oss/ truer oss met/

Du

Du vilt lade dit hellige oc sa-
lige Ord / beuaris i disse Land
ac Riger / fra all Mennistelig
vildfarelse / Du vilt see naa-
delig til voris naadige Her-
re oc Konge / Kong Frede-
rich / met hans naadis Før-
stinde Dronning Sophia /
Den vnge Herre / oc de andre
deris elskelige Børn / At de
met menige Danmarckis
Rigis Raad oc Adel / oc all
anden Christen Øffrighed /
formedelst din Guddomme-
lig beskyttelse oc beskermelse /
Maa naadelige beuaris / fra
all

all fare oc wlycke/ du vilt regere alle deris raad oc anslag/ til dit hellige naffns ære / oc giffue voris naadige Herre oc Konge / it languarende lycksaligt oc fredsomeligt Regimente / saa at wi met alle andre hans naadis Undersaatte/kunde leffue it roligt oc fredsomeligt leffnet/ vdi all Gudelighed oc Erlighed / ved den samme/din Eniste / Elskelige oc Enborne Søn/Jesum Christum vor HERRE/

A M E N.

IEREM: 5.

DOMINE, oculi tui fidem respiciunt. Tu percutis eos, sed ipsi non sentiunt dolorem: Affligis eos, sed non emendantur: Duriores saxis sunt facies eorum, & nolunt conuerti.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]